Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tu et habitu horribiles instinctu dyabolico inducti et ut ita dicam appetitu canino stupati a beato uiro nouem nigros arietes mutilatos dominum ac sanctum temptantes ioculari uociferatione et incompetenti peticione omnes in simul clamantes sibi dari postulabant dicentes: Sancte Flannane uir nobilissime satis fac peticioni nostre. Alioquin omni tempore uite nostre te uituperando diffamabimus et toti regie tue genealogyam diutinam obprobrii contumeliam inferemus. Quibus sanctus Flannanus spiritu plenus sancto in creatore suo cui omnia sunt possibilia confidens constanti uultu respondit: Oues uobis in presentiarum ad petitum uestrum supplicium utcumque apparebunt ut impleatur scriptura que dicit: omni petenti te tribue. Sed nec uestra esuries umquam inde satiabitur nec insuperabilis appetitus uincetur. Tunc beatus Flannanus dei omnipotentis clementiam exorabat dicens: Domine Iesu Christe fili dei uiui qui beato patriarche tuo Abrahe in monte pro liberatione eius unici filii Ysaac uerbecem inter uepres herentem cornibus pro angelum tuum misisti, ita his deterrimis uiris nouem uerueces quos a tantillo me seruo tuo importune petierunt ostendere digneris. Quid referam plura? Patris huius munda oratio diuine pietatis aures penetrauit et ecce nouem nigri arietes sine cornibus ut prefati maledici a beato uiro postulabant de mari exeuntes apparebant, quos ipsi tenuerunt. Sed sicut infelix Loth uxor propter non seruatum dei mandatum et innatam sibi maliciam in salis effigiem est transmutata sic isti filii perditionis filii belial tam ipsi quam uerueces in momento in ictu oculi ante sanctum Flannanum terre adherentes omnes in lapides transmutati sunt et sic usque in hodiernum diem uisibus humanis euidenter comparent. Illi autem homines qui ut prediximus in fide adhuc uacillabant katholica in quorum cordibus iustitie sol non diu plenarie oriebatur uiso miraculo sancti presulis iam prima uisitacione illustrati ad pedes sancti Flannani deuoti de preteritis excessibus multum ingementes profusi ipsumque deprecantes ut pro illorum ignorantia dei omnipotentis exorabilem pulsaret misericordiam, supplicabant se commissa flere et flenda deo opitulante ulterius non committere constanter confidenterque promittebant. His miraculis adeo prodigaliter per cetera regna occidentis celebriter factis adque diuulgatis uir sanctus Flannanus timens cum beatissimo Paulo ne magnitudo reuelationum eximiarum ac frequentia miraculorum mentem eius in elationem eleuaret, flebilibus lacrimis uerno tempore frigidis fluminibus ut supra prenotaui psalterium dum carnem uincendo pro remedio anime decantaret, a pio creatore suo humillime peciit fedam corpori suo notam qua minus principibus clero etiam et populo fuisset exceptus. Et ecce post paucos dies oratio sancti uiri tamquam uirgula fumi celum ascendens diuinas aures more solito sibi reserans morphea que elephancie serta est species percussus est uultuque patris sancti flegmones ac erisipile apostemataque turgere ceperunt. Sicque per aliquod menses et annos eiusdem uiri facies ante admodum reuerenda terribilis adque uitanda apparuit. Quapropter maiores natu Hybernie sanctum uirum Flannanum conueniunt dicentes indignum esse cunctis fidelibus quod ipse fedo ac terribili uultu sacris altaribus astans sacramentum dominici corporis pertractaret sanctamque eucharistiam populis distribueret. Ideoque sancti qui de diuersis partibus aduenerant accuratis precibus uirum dei angariauerunt quatenus ipse communicatis precibus eorundem sanctorum medicine opem reposceret et ad horrendam uultus sui formam celesti medicina remouendam pristinam ac speciosam faciem cunctis desiderabilem sibi licet inuito reuocaret. Ecce qualiter uiri sancti diuinas aures sibi inclinantes quasi per scalam patriarche Iacob quodam modo celum ascendunt gradibusque mutue caritatis a pio iudice quicquid uolunt sibi alliciunt. Preterea quis tam facundus orator enucleatim prosperrima tranquille pacis tempora ac omnium rerum copiam annis multis quibus uir sanctus ecclesiam rexit enuntiaret? Nam ut liber gestorum eiusdem patris mirologis cognatisque sermonibus refert, quod tunc Hybernia tellus inarata ac nullo semine iacto pluribus in locis densas afferre segetes, occeanum mare cete grandia et cetera genera piscium innumera sponte euomere, saltus uenantibus aptos feris animalibus refertos, pomiferas arbores inclines pondere pomorum terram respicere, glandibus et auellanis siluas esse impletas, subtilia fluminis preter solitum piscibus habundare, inpacatas quasque gentes pacem amplecti, pauperes etiam quosque hospitalitatem ultra modum sectari commemorat. Sed quia scriptum est: Fortiora te ne quesieris et altiora te ne scrutaueris: